Gallia quos vel habet! quos est Buillonius in-
Dux; adolescenti qui Patris instar erat: (ter
Cui dederat puerum pietas materna tuendum,
Formandumq; sacræ Relligionis ope.
Quò tandem effectum est, proles Magni illa
Britanni
Regis, ut in thalamum sit data nupta tuum.
Regia nunc meritô debetur utriq; Corona,
Condecorant vestrum sceptraq; celsa gen9.
Quæ Vos ut maneant, & Vestros firma Nepo-
Oramus proni Subdita turba Deum. (tes,
Is faciet simul ut crassa ignorantia Veri,
Sintq; datura procul dogmata falsa fugam
Pontificis Latii; impuris quæ tracta lacunis
Sunt aspersa sacris Christe benigne, tuis.
Paxq; revertetur nostris pia reddita templis,
O Dive auspicio Rex Friderice tuo. (nis
Sic fore quamprimùm reor: Est spes nixa super-
Nutibus: èq; Polo est omne Salutis opus.

HONI SOIT QVI MAL Y PENSE.

SERENISS.mo ET POTENTISS.mo PRINCIPI,
AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,
REGI BOHEMIÆ,

COMITI PALATINO ad RHENUM, SACRI ROMANI IMPERII SEPTEMVIRO, DUCI UTRIUSQ. BAVARIÆ, ac SILESIÆ, MARCHIONI MORAVIÆ, LUSATIÆQ. PRINCIPI SAPIENTISS.mo ET FORTISS.mo

DOMINO SUO CLEMENTISS.mo

seqvens Idyllium anagrammaticum, ex Ipsius Regiæ Majestatis, & Ejusdem Augustæ, nominibus natum, humilimæ gratulationis ergò offert.

TEmpus erat, qvo densa Solum caligo premebat,
Consvetas Brumâ bis peragente vices:
Sole perobscuris penitùs latitante sub umbris,
Qvæq; fuit spatiis lux inamæna suis.
Hinc offensa freqvens dominata: rebellio cœtus
Mortales inter crebriter orta fuit.
Ara, Forum, Torus, instanti sub sorte dolenter.
Uniter in precibus congemuere suis.
Anxia Canities, Pubes tremebunda, Juventus
Strenua, cœlestem solicitavit opem.
Jova moras nexit: Torus, Ara, Forumq. precando
Certarunt qvestus ingeminare suos.
Tandem Jova bonus, tandem Polon esse serenum,
Atq; nigras Terras irradiare, jubet.
Protinus umbrosum Sol scintillando per Orbem,
Discussit radiis nubila nigra suis.
Et bona Pax rediit: Populos Homonæa ligavit
Candida: pro bellis facta petita Qvies.
Idcircò Slesius, Lusatus, Scotus, atq; Bohemus,
Belga, Palatinus, Moravus, Anglus, ait.
HÂ, fugiente RELUCEBIT caligine sacris
Sancta FIDES ARIS! dum fit id, omnis ovat.

Joannes Lindnerus.

Glogoviæ Majoris, Literis Funccianis. An. clɔ lɔcxx.

Boehmen. Sax. T. Kön. vm. 1620. Lindner. sc.

Interstina solum patrium discordia fregit:
Omnia FRIDRICO bella silento DUCE.

Quid trepidamus adhuc, nec fœvos temnimus hostes?
Hic DOMINI ENSIS adest; hic FRIDERICUS adest.

Cive ut morigero FRIDERICE utaris in urbe,
Victuro in castris milite, JOVA dabit.

Ad
Serenissimum atq; Potentissimum Principem
ac Dominum

DN. FRIDERICUM
REGEM BOHEMIÆ,
COMITEM PALATINUM AD RHENUM,
SACRI ROM. IMPERII ELECTOREM
DUCEM BAVARIAE, MARCHIONEM MORAVIAE,
DUCEM SILESIAE ET LUCEMBURGI,
MARCHIONEM LUSATIAE,
DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM,

cum ad Homagium suscipiendum, Silesiorum Metropolin VRATISLAVIAM
A. D. VII. CAL. MART. ANN. clo Ic c xx.
ingrederetur FELICITER

Causa DEI est, pro quâ tanto fervore laboras:
Dura igitur, fidens, REX FRIDERICE DEO.

INgrediáre tuam lætus, FRIDERICE, Budorgin..
Hæc etiam REGEM TE veneranter amat.
Ingrediáre; TIBI & qui nunc debentur honores
Suscipias, Urbi vultu animoq; favens.
Plura TIBI offerret, si posset plura, Budorgis;
Offerri aut cuperes plura, FRIDRICE, Tibi.
Interea, ut gaudet vel parvo munere JOVA,
Qui dantis mage cor respicit, atq; datum:
Sic TIBI subjectæ affectum quoq; dilige Gentis,
Utq; aliis, etiam hac parte imitare DEUM.
Cætera; ceu gnatam nostras amplectitor oras;
Sic TE ceu PATREM Slesia tota colet.

Pace tuum regnum stabili populoq; teneto:
Aut si pugnandū est, Vince FRIDRICE sedens.

Humilimæ subjectionis
atq; cultûs ergò
scribeb.

ELIAS MAJOR Vratislaviensis, in Gymnasio Patrio
Histor. Prof.

BRESLÆ
Excudebat Georgius Baumann.
ANNO
M. DC. XX.

Optatis bellicare ut successibus opto,
Qui sacra corda DEO, Marte necanda putat.

Quæ rerum est facies, instat mutatio mundi;
Nos in eâ, nostro eum DUCE, CHRISTE, tegas.

Frange arcus hastasq;, DEUS, currusq; cremato,
Et pacis nobis munera læta refer.